

## ISCRIZIONI “PRIVATISSIME”, INEDITE O RILETTE, DALL’AREA VESUVIANA

*Antonio Varone*

### ABSTRACT

E regione Vesuvina permultos novimus titulos, sive pictos sive graphio exaratos, qui de deiectione agunt.

Unus ex eis, *cacavi et culu non extersi*, Stabiis nuper in latrina villae quae dicitur “San Marco” repertus et hic primum vulgatus, locutionem novam *culum extergere* exhibet.

De quo novam lectionem praebui titulo Herculaneensi *CIL IV* 10580, etiam in latrina (domus V 30) scripto, perperam a Della Corte *ex sept(em)* edito. Namque titulum legi *exsetri*, id est *extersi*, litteris permutatis. Permutatio litterarum in verbis aut alphabetis graphio exaratis crebre Pompeis videre potes et plerique virorum doctorum consentiunt hoc fuisse fascino remedium.

Novam lectionem dedi et titulo Pompeiano *CIL IV* 10070, in fronte domus I 13, 9 reperto, quem Della Corte legit *Lesbiane, cacas scribisque salutem*, ubi ego vero *Lesbiane, cacas. Sribit qui valuit* emendavi.

Et de titulo Pompeiano *CIL IV* 5244, in latrina domus quae dicitur “del Centenario” reperto, oculis compertum habeo in versu 2 verbum *trichilinum* scriptum esse, minime *trichilinium*, quod contra in versu 1 plane legitur.

Inscriptiones quae cacatores memorant et quas cacatores scripserunt omnes consideravi ad investigandum qua ratione scriptae essent. Alterae minis vel blanditiis efficiunt ne vici excrementis obligantur. Alterae saepe exprimunt in re gaudium, aliquando malevolentiam, crebrius tamen ironiam salesque amaros, semper tamen “Italum acetum” exhibentes.